



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Sacrarvm Antiqvitatvm Monvmenta**

**Hillesheim, Ludwig**

**Antverpiæ, 1577**

Samson.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68887](#)



Judicium 13. Celsior humano, nec noto robore Samson,  
14, 15, 16. Mole gigantea conspicendus adest.

Acta

Acta viri maiora fide, sed finxit in illo  
 Conditor, humano corpore maius opus.  
 Gignitur e sterili, caelo prænuncius ales  
 Fata noui fætus prodigiosa canit:  
 Hunc fore qui gentem tot bell'i cladibus ægram  
 Adserat, & fort'i vindicet altus ope.  
 Addita lex, sanctum superis fore, nectaris usus  
 Expertem, intenso vertice ferre comas.  
 Huius opus, rigidum dextra strauisse leonem,  
 Mellaq; cum liquidis inde tulisse fauis.  
 Mille viros atque osse putri prosternere letho,  
 Cælitus & nato fonte leuare sitim.  
 Claustrag; portarum, solidos perfringere postes,  
 Sublatosq; altis imposuisse iugis.  
 Quid cum clade noua truculentos usus in hostes,  
 Tercentum totas vulpibus usit agros?  
 Flamma vorax siquidem nexis superaddita caudis  
 In segetem sparsas compulit ire feras.  
 Inuictum sed dira lues heroa subegit  
 Roboris arcanum non tenuisse sacri.  
 Fortia nam rasis languescunt membra capillis,  
 Et perdit geminos captus ab hoste oculos.  
 Sed maior redeunte coma vindicta parata est,  
 Cum ruerent fort'i diruta tecta manu.  
 Hostilesq; globos subita pressere ruina,  
 Cum quibus & vindex sustinet ipse mori.  
 Naziri signata fides sub imagine Christi est,  
 Ille decus verum nominis huius habet.